



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Aprilis

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Die secunda APRILIS.

De triumpho contra Hungaros.

Ex Folquino abbate Lobienſi, Sigeberro Gemblacenſi, & chronico Cameracenſi.

Quarto Nonas Aprilis, commemoratio meritorum venerabilium Chriſti confessorum Viſmari & Ertmini, quando à Hungris liberati ſunt Laubienneses, per merita eorum. Feſtum duodecim Lectionum. Gens ſiquidem Hungarorum, ruptis cluſis, emiſſa, mortuo Arnulpho Imperatore, totam Italiam, totamque Germaniam & Galliam, vt fera tempeſtas, vario vaſtationis genere depopulata eſt per annos circiter quinquaginta. Quo tempore, inquit Folquinus abbas, Conradus Lotharingiæ Dux ſiue Cuno, Dei & Imperatoris transfuga, eos, diſſidete regno, in Lotharingiam deduxit. Sed vbi Traiectum vêtum eſt, quod Moſa alluit, incertum qua factione diſſidium ab eis fecit. Hungari nihilominus Haſbaniam flamma & rapina aggreſſi, Carbonariam petiuerunt, & intra clauſtra Laubiensis monaſterij, quod ſuccenderunt, duos obtruncarunt, Theodulphum & Theumarum. Cùm autem munitiorem locum conſcenderent, in quo clerici & monachi ſe ad reſtendum parauerant, quia pro anima res erat, desperatis rebus inter Litaniaſ duæ columbæ ex adytis templi volarunt, & trina obſidione acies obſidentium vallarunt. Et mox ſubſecuta eſt pluuia grandis, quæ gentilitiam illis ſagittandi artem, chordarum diſtentione fruſtrata eſt. Pavor etiam tantus eos irruit, vt ea qua venerant via fugam maturarint. Lobienſis hic triumphus memorabilis fuit atque per Belgium lætiſſimus. Siquidem vaſtationes Italiæ, Germaniæ, Galliæ, à Sigeberro commemoratæ, merito Belgas terrore concutiebant. Tunc enim, vt ſcribit Helmoldus, incenſis eccleſiis cruceſ à barbaris truncatæ & ludibrio habitæ, ſacerdotes ante altaria trucidati, clerus vulgo mixtus aut interfectus, aut in captiuitatem ductus.

Dederunt autem Hungari tandem pœnas ſuæ perfidiæ, ita ab Imperatore contriti, vt nullus aut rarus euaderet.

Anno

*An. 955. vob
eſt c. 24
Chron. infr.*

*Cap. 8. hiſt.
ſclauorum.*

Aprilis 2.

NONATALES

Anno nongentesimo quinquagesimo quinto, ait Scafnaburgensis, Otto Rex Hungaros, cum magno periculo sui suorumque magna caede prostravit in Lechfelt, in natali S. Laurentij In quo bello, addit Sigebertus, cecidit etiam Cuno poenitens, non iam Dux, sed miles Imperatoris, qui Deum orauerat, ut pro poena perfidiae suae in ipso bello ab Hungaris perimeretur,

Ex Chro.
Camerac.
lib. 1. c. 74.

Cameracensem vero ciuitatem, cum Hungari eam furibundo insultu inuaderent, Fulbertus episcopus pijs monitis ciues roborans, & ardenti prece Deum, Deiparam Virginem, & Gaugericum vrbis patronum interpellans, inexpugnabilem & illasam reddidit. Basilicam tamen memorati pontificis extra muros incensam vidit & doluit, multis inibi ex populo, & ex clericis Anfrido, Anselmo, Grimberto, Theoderico, & Gentione, occisis.

2^o. De Genouefa Palatina, Ducis Brabantiae filia.

Ex Mathia Emmich Doctore Theologo, Carmelita conuentus Bopardiensis, an. 1472. qui est Ms. Confluentia in Carthusia.

IN diocesi Treuirensi obitus Genouefae Palatinae. Haec Ducis Brabantiae filia, velut altera Susanna, suis temporibus emicuit pudicitia, & patientia, nec non deuotione erga Dei genitricem. Cuius interuentu à Sifrido, Romani Imperij Palatino, masculam prolem concepit, antequam is ad barbaras nationes cum magno belli apparatu abiret. Abiecit coniugem cum omni dominio defendendam tradidit militi fortissimo Goloni Sed miles primum blanditijs, & fictis de morte mariti literis, deinde varijs molestijs, eius pudicitiam exagitant: nouissimè redeunti viro omnia prospera esse dixit, praeter thorum adulterio maculatum. Quare eam cum prole submergendam
suggef-

suggestit. Quod mox maritus ira percitus fieri decreuit. Sed famuli eam in nemore deseruerunt, & pro lingua eius ad Golonem attulerunt linguam cuiusdam canis. Interim velut altera Agar, cum prole per solitudinem vagatur, & antra inhabitat, lymphæ & herbis se sustentans. Ab aduocata autem sua, Deipara Virgine, multiplicem consolationem capiens. Per cuius patrocinium etiam cerua quædam filiolo turgidas mammas exhibuit. Elapsis tandem annis sex, & mensibus tribus, maritus inter venandum in die Epiphaniarum, uxorem cum prole reperit, & excicatrice vulneris in Brabantia accepti, alijsque signis & verbis eam cum rugitu cognouit. Noluit autem illa cum marito congregi, nisi prius sponderet ecclesiam eo loci ædificare Dei genitrici, quæ eam in tot aduersitatibus conseruauerat. Quod celerrimè factum est, & constructam Hidulphus episcopus consecrauit: appellaturq; *Vrouwe-kercke*. Superuixit autem, delicata non ferens, in consueta abstinentia, vsque ad proximum diem secundum Aprilis. Cuius anima celos transcendit: corpus autem in prædicto templo est reconditum. Vbi Deus ob suæ matris reuerentiam præclara multa operatur. Caterum Golo à quatuor indomitibus bobus dilaceratus interiit.

Die quarta Aprilis.

De Hildeberto abbate, martyre Gandensi.

Ex admonitione Domini Betri Simonis, archipresbyteri Gandensis, & Martyrologio Rubicæ-vallis.

PRidie Nonas Aprilis, Gandau, Hildeberti martyris, octauæ Abbatis S. Petri Gandensis.

Quem Chronicon castri & cœnobij Gandensis anno septingentesimo vigesimo octauo successorem notat Vuilradi: anno deinceps quinquagesimo secundo interfectum esse à consiliariis Constantini, impiissimi imperatoris. Fuit itaque abbas, non Blandiniensis diui Petri, quod per errorem scriptum esse à Meiero Blandinienses fatentur, sed Gandensis diui Petri, siue diui Bauonis. Nam istud monasterium est etiam diui Petri ex primæua erectione. Est autem Hildeberti martyrium ex eo commendabilius, quod incidit in

annum

*In cõment.
Flandria ad
an. 752.*

Aprilis 5.

NATALES

annum quo nondum sacrae imagines à Synodo septima in Nicæa erant confirmatae. Nec mirum alicui videatur huius martyris nullam fieri memoriam in Gandauensi ecclesia: nam & alij fuerunt in Belgio martyres, quorum martyria non celebrantur. Satis enim fuit maioribus nostris eos martyres patrios festis honorare, qui post sua martyria miraculis claruerunt, quæ nulla fortassis Hildebertus coronatus edidit. Nos eum ad hunc diem notauimus ex Antonij Rubæ vallensis Martyrologio prolongato.

Die quinta Aprilis.

Per Iulianam Leodij inchoatum esse

Festum Corporis Christi.

*Ex libris de vita Iuliana, & informatione
Leodij accepta.*

FOSTA, obitus Iulianæ virginis Corneliensis, anno millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, quæ tertio post obitum die, ad Villare beatæ Mariæ, ordinis Cisterciensis cœnobium, est translata. Vbi inter corpora facta est sepulta, & vita duobus libris continetur. Dicitur autem Corneliensis, quia extra Leodium in monte sancti Cornelij, vbi nunc est leprosarium, virginibus Cisterciensibus præfuit. Nec ambigo virginem humilem perpetua memoria dignam esse, eo quod per eam inchoatum sit speciale festum Corporis Christi. Siquidem Dominus Christus ei revelauerat, ut ad augmentum fidei in fine debilitandæ, nec non ad profectum electorum, Corporis & sanguinis sui speciale festum fieri curaret. Ipsa autem rem tantæ dignitatis publicari reformidauit, non propter iniurias & tribulationes, quæ inde exorituræ videbantur, eum eas generoso animo perfrerit, sed propter superbiam titillationem, dum ipsa tanti festi haberetur inchoatrix & reuelatrix. Itaque Dominum obnixè deprecata est, ut & aliis famulabus suis id reuelaret. Inter quas memorantur Eua reclusa Leodiensis ad sanctum Martinum, & Isabella beghina Hoyensis. Itaque post varias admonitiones, & sanctorum inuocationes, rem patefecit Ioanni de Lausenna, integerrimæ vitæ Canonico; quem rogauit ut tacito suo nomine festum

festum promoueret. Exposita sunt omnia Iacobo de Tre-
cis, archidiacono Leodiensi, qui postea fuit Romanus
pontifex Urbanus quartus, Hugoni de sancto * Theodori-
co, Prouinciali Ordinis Prædicatorum, postmodum Cardi-
nali; Guiardo seu * Guidoni, episcopo Cameracensi, alijs-
que viris ^b celeberrimis, qui negocium promouerunt. Sed
& Iuliana per Ioannem, domus suæ fratrem, officium com-
poni fecit, quod comprobatur est per supradictos Theo-
logos, & incipit; *Animarum cibus*. Quod officium Leodij,
Tungris, & alibi in vsu fuit, antequam ab Urbano quarto
sancti Thomæ officium publicaretur. Fuit autem scriptor
modicæ literaturæ, sed obediens, os suum aperiebat, &
Dominus implebat illud. Hac occasione festum celeberrimum
primum Leodij est celebratum, potissimum à colle-
gio sancti Martini, vbi etiam celebrant illud, & appro-
barunt ante Urbani pontificatum, Robertus episcopus, &
Hugo de sancto Theodoro, & Petrus Capoccius Cardi-
nales. Ex quibus Hugo sermonem adiecit in solennitate
festi. Duo præterea Canonici, Ioannes & Stephanus, lega-
runt reditus, in festo & octauis distribuendos. Porro Ur-
banus ex patriarcha Ierosolymitano in pontificem extra
collegium Cardinalium assumptus, festum, quod antea
Leodij celebratur, vniuersale fecit, cum solenni supplicatio-
ne, anno millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, ad
confundendam specialiter hæreticorum perfidiam & insa-
niam. Neque immemor fuit reuelationum, de quibus
Leodij audierat. Scribit enim in constitutione sua, *Lib. 3. Cle-*
Intelleximus olim, dum in minori essemus officio consti-
tuti, quod fuerat quibusdam Catholicis diuinitus reuelatū,
festum huiusmodi generaliter in ecclesia celebrandum.
Hac etiam de causa anno quarto seu vltimo sui pontifica-
tus, quo festum hoc vniuersaliter instituit, mortua Iulia-
na, misit ad Euam reclusam Leodiensem, diploma cum
novo sancti Thomæ Aquinatis officio. Quod ibidem, vt
decurrit, receptum fuit: diploma autem Pontificium, cum
diplomatibus Hugonis Cardinalis, Petri legati, & aliorum
quorundam, ad sanctum Martinum excopiatum con-
seruatur. His autem quæ diximus astipulantur non tan-
tum venerabiles & vetustæ picturæ in monte sancti Cor-
nelij, sed etiam liber posterior de vita Iulianæ, à Ioanne
de Lausenna approbatus. Accidit postea celebre miraculum
I^r Vulsinjs,

* al. Caro.

Psal. 80.

Lib. 3. Cle-
met. tit. 16.

Aprilis 5.

NATALES

Onuphrius
ad Vlast-
num.

Sessio 13.
capite 5.

Lib. 2. con-
tra Henri-
cianos, de
eode lib. 4.
epist. 53.

Vulsius, in diocesi & ditione Vrbeuerana, quo Onuphrius scribit commotum fuisse Vrbanum ad festi institutionem. Sed minus caute reiecit quæ de Eua reclusa diximus, cum hæc ex bullis ipsius Urbani, & Iulianæ vita, certissima esse nostratibus constet. Verùm quæ apud auctores minus graues legerat, non miror virum doctum reiecit, eaque ignorasse quæ in angulo ferè mundi contigerunt, & à multis etiam nostratibus hæcenus ignorantur. Itaque Belgæ, qui alios in festi obseruatione præuenimus, ab auita pietate non recedamus, sed, vt Patres Tridentini monuerunt, *gratos & memores animos testemur erga Redemptorem, præ tam ineffabili & planè diuino beneficio: & contra hæresim triumphum agamus, vt eius aduersarij in conspectu tanti splendoris debilitati & fracti tabescant, vel pudore affecti aliquando resipiscant.* Sanè non paruum est Leodiensis ecclesiæ ornamentum duo habuisse luminaria contra Berengarij hæresim. Antea enim Algerus, celeberrimus diui Lamberti Canonici, Leodij conscripserat de Sacramento altaris libros tres, *optimè*, inquit Petrus abbas Cluniacensis, *plenisimè, perfectissimè*. Hic autem puræ conuersationis vir, in præbenda retineri non potuit, sed Cluniaci monasticam vitam in prouecta ætate est amplexus. Postea accessit Iuliana, festi promulgatrix, de qua superiora scripsisse sufficiat.

a Fuit Guido Laudunensis, creatus anno Christi 1254.

b Inter quos Gerardus, lector Dominicanorum Leodij. Vita S. Iuliane lib. 2. c. 6.

c Imo quatuor. Nam & Theoduinum Leodiensem episcopum, in epistola ad Henricum primum Francorum regem. & Adelmannum ex Scholastico Leodiensi episcopum Brixmensem. Citat eos Garcius.

Die septima Aprilis.

De B. Ioseph, Canonico Stein-veldensi.

Ex Rafone, qui vitam excusam scripsit.

Monasterio Stein-veldt, obitus beati Hurmanni, siue Ioseph, presbyteri & Canonici

nici Ordinis Præmonstratensis. Cuius memoria celebranda est inter beatos Colonienſis diœceſis. Ad Belgium tamen pertinere videtur, quòd Raſo Bonuf- vicinus ſcriptum reliquit, eum, cùm à Stein-veldeniſibus ob ſingularem pietatem ante legitimam ætatem receptus eſſet, diſciplinariſ gratiâ in Friſiam directum eſſe. Vbi ſiquando (quod apud illos creberrimum erat) audiſſet Ædepol, per ſummum Iouem, per Herculem, & cætera talia, etiam in præceptoribus ſuis vix humanè ferebat. Ibidem cùm inter condiscipulos puer peregrinus ob fœdam capitis ſcabiem inuiſus eſſet, à beata virgine, cum multorum admiratione, ſubitam incolumitatem obtinuit. Dictus eſt propter ſimplicitatem & deuotionem erga Deiparam virginem Ioseph. Quod cum moleſtè ferret, per apparitionem monitus eſt vt Iosephi nomen non refugeret. Corpus eſt apud Stein-veldeniſes, è terra eleuatum. In quo autem loco Friſiæ ſtuderit nuſquam legi. Sed à Præmonſtrateniſibus in Stein-veldi: accepi ſub ipſorum abbate conſtituta eſſe Friſiæ monaſteria, in *Deckum*, *Lidum*, & *Oridlum*. Obijt an. 1236. in monaſterio virginum vicino, relatus in Stein-veldiani feria 3. Pentecoſtes.

*In dialogo
de Ioseph
capite 5.*

Nona die Aprilis.

1^o. De S. Vualdedrude, patrona Montensium.

Ex Chronicis Hannonum, historia manu-scripta Sanctæ Vualdedrudis, & libris Montensis Ecclesie.

Montibus Hannoniæ, transitus B. VVAL-
DEDRVDIS continentis. Quæ parentes ha-
buit Vualbertum & Bertiliam; maritum sanctum
Vincentium, Comitem Hannoniæ: sororem, san-
ctam Aldegundem; proles, Landricum, Aldetru-
dem & Madelbertam, quæ duæ Malbodio mo-
naſterio poſt Aldegundem præfuerunt, & Dent-
linum puerum, qui in albis obijt: Hi autem
omnes

*De Wal-
berto agit
Iacobus
Susinus in
Annal.
Han lib. 9.
c. 6. 9. &
10. ubi cum
ponit inter
SS. Deco-*

Aprilis 9.

NATALES

*dem rursus
lib 10. c. 1.
Et lib. 12. c.
3.*

*Buxutum vi-
cus, Cella
propinquus
est, ut ha-
bet vita
Gerardi,
hodie Bos-
sutum.*

omnes in Litanijis ecclesie Montensis inuocantur.
Eorumque tempore pagus à fluuio suo dictus
Haynoënsis, (siue, vt nunc loquimur, Hannonia,
insignis Comitatus) coronam gestabat vernan-
tem quorundam sanctorum meritis. Autbertus
clarebat in Cameracensi sede; Landelinus, Cris-
pinij; Gislenus, Cellæ. Cumque beatus Vincen-
tius, totus inhians cælestibus, in Alto-monte
monasticum habitum suscepisset, & relicto sæcu-
li naufragio, monasterij portum expetiuisset, iu-
galis eius sancta Vualdedrudis. quæ id ei annue-
rat, admonitione sancti Gislени, à beato Autberto
episcopo velamen sacrum impetrauit, & cellu-
lam seu monasteriolum construxit in monte, qui
Castri-locus dicitur. Quæ cellula est hodie in pri-
maria Hannoniæ vrbe, ecclesia sanctæ Vualde-
drudis, conuersa in Canonicarum nobilium col-
legium, cuius perpetuus abbas & aduocatus est
Comes Hannoniæ. Cùm autem Vualdedrudis
ante conuersionem secum luctaretur, dum esset
in basilica villæ, quam vulgus Buxutum nominat,
apparuit ei sanctus Gaugericus episcopus, qui di-
xit: Age quod agis, & calicem vino plenum per
visionem ebibendum dedit. Quam visionem illa
passim narrauit, & meditatam opus perfecit, to-
lerans calumnias & opprobria; quæ hinc conse-
quebantur. Loco autem exulto, etiam nobilio-
res puellæ ad eius magisterium concurrerunt, &
sub ea Domino castitatem dedicarunt. *Quid verò
opus est, inquit, historiæ scriptor, de vita eius multa
narrare, cùm nunc ad corpus eius tot virtutum documen-
ta teneamus?* Transitus celebratur quinto Idus A-
prilis in propria ecclesia: ab alijs quibusdam in die
translationis, tertio Nonas Februarij. Est quoque
patrona

patrona ciuitatis, siue ecclesiæ Herentalensis. Officium matutinale composuisse Olbertum, abbatem Gemblacensem, legitur in gestis Gemblacensium abbatum.

2º. De S. Hugone, epis. Rothomagensi.

Ex historia manu-scripta vita & translationis, quæ legitur in monasterio Atrebatensi.

IN Gallijs, beati HUGONIS, Rothomagensis archiepiscopi, & confessoris. Cuius corpus magna reuerentia asseruatur, & fulget in Præpositura S. Vedasti, Haspris dicta, in diœcesi Cameracensi. Hic nobilis genere, nobilior autem virtutibus, diuina inspiratione succensus, relictis episcopatus habenis, à sancto Aichadro in Gemetico disciplinam monachorum, & habitum ex toto corde appetiuit, sacrisque magistri moribus informatus, omni virtutum genere perfectus emicuit. Ibiq̃ue post decennium, ætatis suæ anno septuagesimo quarto, Deo spiritum reddidit, sed primùm viatico munitus, & sancti olei liquore delibutus. Vtriusque verò, Aichadri videlicet & Hugonis corpus, quando Nordmanni, exigentibus id peccatis Christianorum, ecclesias combusserunt, ad villam Haspram est translatum: Vbi Deus multa & celeberrima dignatus est per vtrumque operari virtutum prodigia.

Vide de Aichadro, ad xv. Sep.

Duodecima Aprilis.

1^o. De S. Erkenbodone, episc. Morinen.*Ex Chronicis Ioannis Iperij abbatis Bertinensis, & responso ad meas litteras.*

Monasterio Sithiu, depositio sancti ERKENBODONIS, Morinorum episcopi & abbatis Sithiensis. Qui in monasticis & regularibus disciplinis à primæua ætate sub sanctissimo Bertino militauit, vsque ad congruentem ætatem. Abbatia deinde in Sithiu, vir omni bonitate conspicuus, regimen, quartus inchoauit anno septingentesimo decimo, cui etiam chartas seu priuilegia quatuor acquisiuit: post sexennium verò in episcopum Teruanensem est sublimatus. In quo & simul in abbatia, per annos viginti & sex resedit. Estque cum magna reuerentia sepultus in monasterio sancti Audomari, siue in basilica sanctæ Mariæ, quam Audomarus pridem dedicauerat, in qua nunc resident cathedrales Canonici sancti Audomari. Qui sepulcrum in præfata sua ecclesia ostendunt: corpus in summo altari, caput verò in particulari vafe reconditum conseruant. Festum translationis eius celebrant sexto Idus Septembris.

2^o. Memoria Victæ Constantinopolis.*Ex Chronicis eius temporis.*

Eodem die victoria occupatæ Constantinopolis Cuius vrbs genethiam, Græci inter Sanctorum memorias in suo notant Menologio, die vndecima Maij: sed maioribus nostris multo potiori iure memoranda fuit victoria occupatæ per Gallos & Venetos vrbs, anno millesimo ducentesimo quarto. Ea enim consecuta, sacra

militia,

milicia, Græcorum Augustum Imperatorem pronunciauit Balduinum, Flandriæ & Hannoniæ Comitem, primum Belgarum ducem: Qui Græcos ad obedientiam Sedis Apostolicæ reuertit fecit. Cui Veneti Thomam Maurocenum patriacham subiecerunt. Sic Orientis imperium mansit penes Belgas annis fere sexaginta, quod deinde post Paleologos occuparunt Mahometani Turcæ. Contra quos utinam tandem Catholici Principes, maiorum suorum exemplo, in vinculo pacis manus suas coniungerent, sanctamque colligationem inirent.

Vide Canonem 4. Concilij Lateranensis.

Die decima-tertia Aprilis.

Obitus beatæ Idæ viduæ.

Ex Iperio, chronographo Bertinensi.

IN Flandria, monasterio *Vuast*, obitus beatæ Idæ, matris Godefridi & Balduini, regum terræ sanctæ, virtutibus & miraculis claræ. Quæ ad dictum locum à beato Hugone Cluniacensi abbate petijt quosdam mitti. Quem locum etiam, ante altare sepulta, prodentibus miraculis, protegit & munit. Corpus autem post multa tempora repertum est illæsum.

Decima-quarta Aprilis.

1^o. *De S. Lamberto, episcopo Lugdunensi.*

Ex vita beati Vuanndregisili, & ex Angrado.

LVgduni, depositio sancti LAMBERTI, episcopi & confessoris. Qui sub S. Vuanndregisilo Fontanellæ fundatore monachus claruit. Quo pertinet quod beatus fundator ante mortem dixit: *Duo sunt in presentia vestra charissimi, qui vicissim post meæ fragilitatis discessum, in regiminis succedent locum.* Subdit enim historiæ scriptor: *Erat namque vnus, Lambertus, vir eximia religionis, & generis,*

In historia 22. Iulij.

Aprilis 14.

NATALES

Angradus
9. Febru.

generis, ortus in territorio Teruānensi, qui post *Genesium* praesulatum ecclesiae Lugdunensis accepit: alter vero, vir Domini *Ansbertus*, qui beato *Audoëmo* in pontificatu successit ecclesiae Rothomagensis. Quorum vitam atque virtutes libellus qui de eorum scribitur actibus, luculenter narrat. Sane Angradus, in vita beati *Ansberti*, de eo scribit, quae nos contractius subiicimus. Sancto *Vuandregisilo* in caelestis regni societatem suscepto, caetera monachorum triduanum celebravit ieiunium. Quo expleto, iubente Deo, beatum *Lambertum* elegerunt, religione praeclarum, genere nobilem. Cuius genitor *Erlebertus*, in Teruānensi regione, plurima praedia loco *Fontanelleni* dedit. Erat charitate plenus, pudicitia supereminens, fide firmus, consilij prouidus, in bonitate laudabilis, in colloquijs affabilis, vultu & statuta decorus, venerandus omnibus, & in Christi religione feruens. Beatum *Ansbertum* venerabatur vt patrem, diligebat vt filium. *Theodoricus* rex largitus est ei *Duseram*, in regione quae proprie vocatur *Prouincia*, vbi vir Dei illius regionis praecipuum extruxit monasterium, *Fontanellae* subiectum, donec diuisione regni, discordia principum, & incurSIONE *Agarenorum*, sine in subiectionis fecit. Beatum *Ermelandum* ex suo monasterio ad *Nemetensem* regionem direxit, vbi in *Antro*, insula aluei *Ligeris*, monasterium aedificauit. Sub hoc patre beatus *Erembertus*, pontifex *Tolosae* urbis, & sanctus presbyter *Condedus*, *Britannus*, in *Fontanella* Deo dignum & nomen assumerunt, & habitum.

Defuncto autem in *Lugduno* sancto *Genesio* praesule, rex *Theodoricus* & princeps *Pipinus*
eum

eum successorem constituerunt. Cùmque humiliter reniteretur, regali iussione, & sacerdotali electione, est compulsus. Plura de tanto patre, per eum, & sub eius regimine gesta, dici poterant, quæ, inquit Angradus, in eius gestis olim plenius memoriæ tradidimus posteris * intimanda.

* for. imitanda.

Ex dictis apparet, virum fuisse celeberrimum, quem Symphorianus, Chæperius inter sanctos episcopos Lugdunenses, & in oratione inuocat, & in Catalogo recenset. Discipulos autem eius, Erembertum & Condedum. Blandinium Gandauensis, vrbis monasterium celebrat. Fuit autem Ternuana Morinorum mediterranea vrbis, Flandriæ ritulo ex Caroli Calui donatione comprehensa, cum reliquis terris quæ Somona, Scalde, & Oceano circumscribuntur. Quam postmodum Galliæ rex aliquot sæculis occupauit, & in Belgij perniciem communiuit. Qua de causa Carolus quintus eam omnibus viribus expugnauit, excidit, & in modicum vicum redegit. Cuius suburbana & magna territorij pars Artesiæ annumerantur: atque ob id hæc de Lamberto posuimus.

2º. De S. Lijdwige, virg. Schiedamensi.

Ex autographo Thomæ de Kempis, & libello Ioannis Brugman, & literis D. Cornelij Goudani, cùm ex Schiedamo exturbatus migrasset Ultraiectum ad Pastoratam ciuili ecclesie.

Schiedami, in Hollandia, obitus B. Leduæ siue Liidwigis virg. vulgariter *Lijdwijde* dictæ. Quæ obiit anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, ætatis quinquagesimo tertio, ægritudinum trigesimo octauo. Cuius historiam conscripserunt Thomas Kempensis, & Ioannes Brugman Franciscanus. Claruit autem patientissima virgo multis virtutibus, visionibus & miraculis. Sacellum habuit honorificum intra parochialem ecclesiam, & in medio sacelli tumbarum marmoream. Historia etiam in tabula depicta cernebatur.

cernebatur: Annuè præterea sacellum illud & virginis tumba exornabantur, non die decima quarta Aprilis, sed die quarta Paschatis, & festum eius celebrabatur cum solemni sacro, & officio de Trinitate (eo quod in canonem sanctorum relata non sit à Romano Pontifice) cum concione tamen sub sacro de eius vita & passione. Habuit quoque conuentus sororum sancti Francisci altare consecratum in honorem sanctæ *Lýdwýde* virginis, versus occidentem, eo in loco ubi lecto decumbens, Deo in hac vita seruijsse ferretur. Sed hæc omnia hostes fidei, & omnis pietatis, funditus euetterunt anno septuagesimo secundo, non cogitantes quod cessante vento persecutionis eadem catholicorum zelo, cum maiori gloria Dei, & virginis eius, restauranda forent.

Decima septima Aprilis.

1^o. De sancto Landrico, episcopo.

Ex lectionibus ecclesiæ Canoniorum & dominorum oppidi Sonegiensis.

Sonegijs, natalis sancti LANDRICI, episcopi & confessoris. Qui parentes habuit sanctitate & nobilitate illustres, beatum Madelgarium, agnomine Vincentium, & Vualdetrudem; quorum omnes proles in Sanctorum numero ascriptæ cognoscuntur. Ex his Landricus, qui primus ab utero matris natiuitatis exordium sumsit, sic gradatim virtutum iter accelerauit, vt in cathedram Metensis Pontificij dignaretur cum Dominus sublimare. Post obitum autem patris, postposito episcopio, vsque ad felicem transitum, Sonegiense monasterium rexit: ubi etiam est tumulatus. Corpus autem à fratribus sæpe deportari solet ad villam Taxandriæ, Feleppam, quæ eleemosynaria distributione beato Vincentio est tradita. Quodam autem anno aduocatus villæ ad proprios

proprios vsus rapuerat annonam: fratres ea de causa tulerunt sanctum Landricum, vt hæreditatem paternam tueretur. Cùm itaque fortior armatus eò superueniret, Dei vltio inuasores suam iniustitiam recognoscere coëgit. Cæterum Sonegiensis congregatio, primò fuit monastica, deinde Canonica, tertio sanctimonialium: per quas sic perijt ecclesiæ supellex, vt & reliquæ beati Landrici negligenter, & Calendæ festiuitatis eius, per aliquot annorum curricula obliuione tegerentur. Post diuersas autem admonitiones de festi negligentia, reuolutis Calendis, Nonis, & Idibus decimo quinto Calendas Maij iusti viri transitum reppererunt.

^a Non numeratur autem inter episcopos Metenses, fortassis quòd solum fuerit coepiscopus ad infidelium conuersionem, vt multi alij per ea tempora episcopi. Nec puto eum Canonicum fuisse, sed monachum, quamuis liber secundus Chronicorum Cameracensium habeat beatum Vincentium Sonegijs monasterium ^b Canonicorum struxisse. Hoc enim ab historia sancti Landrici discrepare ex superioribus notum est. Cæterum *Felep* olim hæreditaria ecclesiæ sancti Vincentij villa in Taxandria: item *Dorne*, & *Erp*, nunc territorio *Rauesteyn* in cliuia annumerantur, & restigescente inter multos fide & charitate, parum emolumentum inde accipitur.

^a Non mirum cùm non fuerit Metensis sed Meldensis episcopus. Vide *Chro. Camera. lib. 2. cap. 46.* & ibidem notas nostras.

^b Non habetur Canonicius.

Die

Aprilis 17.

NATALES

2^o. De beato Geruino, secundo Abbate
in Alden-burg.

Ex libro obituum, & vita per Hariulphum
successorem scripta.

Decimo quinto Calendas Maij obiit dominus Geruinus, quondam abbas secundus cœnobij in *Alden-burg*. Fuit natione Flandrensis, genere mediocris, bis Ierosolymam ex ardore fidei adiit: Romam & alia sancta loca inuisit. Cumque vitam eius innocentem & piam, affines & propinqui non rectè intelligerent, secessit ad monasterium sancti Vuinoci, vbi ad presbyterij gradum sub Teruanensi episcopo ascendit. Implo-
rauit etiam sancti Nicolai opem, cum eum negotiatores Barum transtulerant. Habitauit in silua abbatis Corbeien-
sis, deinde reclusus sub basilica sancti Petri in *Alden-burg*, quia locus ille, per dignitatem S. Petri, miraculorum signis illustrabatur. Postea sedes fixit penes montem *Cassel*, donec à fratribus Aldenburgensibus, qui eius in sanctis actionibus vitam nouerant, electus est in abbatem. Quibus tandem electus cessit, benedictionem accipiens Gandau à Lamberto episcopo Tornacensi. Dæmoniacos & lunaticos sæpe sanauit. In prophetia clarus erat. Quadraginta annis à carne & pinguedine abstinuit. Munera potentum, qui iniquitate præualebant, accipi non sinebat. Cæterum abbatali vitæ præponens solitariam, ea resignata, ad hanc redijt, secedendo in Yuassam ad siluam *Cosfort*, vbi ædificauit ecclesiolam, apud quam obiit anno millesimo centesimo decimo septimo. Quæ omnia à nobis ignorarentur, nisi exstarent ad Vuilhelmum Dorouernensem archiepiscopum dialogi Hariulphi de miraculis S. Petri Apostoli in *Alden-burg*, & de vita Geruini sui antecessoris.

Decima

Decima octaua Aprilis.

1^o. De sancto *Vrsmaro* episcopo, qui multos conuertit in *Fania*, *Theoracia* & *Flandria*.

Ex Ratherio & monumentis Lobij, quæ exhibuit Reuerendus Pater Abbas Erminus François.

Vide Sigeb. in Chron. an. 1081.

IN cænobio quod dicitur *Laubium*, depositio sanctissimi patris *V R S M A R K*, episcopi & confessoris, cuius gesta præclara habentur. Hic pago *Theoracensi*, villa *Fleon*, exstitit oriundus. A *Pipino* duce accersitus, *Laubacum* monasterium, à beato *Landelino* ad *Sambram* fluiuium, & *Laubacum* riuulum, à quo nomen accepit, fundatum, regendum suscepit. *Ibidem*que ad barbaricæ gentis conuersionem episcopus consecratus, multos ad fidem Christi in *Fania* & *Theoracia* conuertit, multasque construxit ecclesias. Inde ad prædicandum *Flandris*, contulit se versus *Menapum* fines, qui adhuc detinebantur ritu gentis, vanis superstitionibus. Cuius miraculis & prædicatione assidua, ad fidem conuersi, magna ex parte eum, & eam quæ est *Lobij* ecclesiam Christi, prædiorum hæredem statuerunt. Ipse etiam prouinciæ dominus *Aldo*, donauit à suo vocabulo dictum *Alden-burg*, vicum, in quo in honorem beati *Petri* ecclesiam consecrauit, quatenus beatus *Apostolus* *Flandrensibus* & *Menapibus* patrocinaretur. *Gregem* sibi commissum ita diligebat, sicut veritas ipsa diligendum docuerat: custos animarum, nutritor orphanorum, defensor viduarum, redemptor captiuorum. Singulare etiam patientiæ exemplar.

Aprilis 18.

N A T A L E S

plar. Nouem enim annis & decem hebdomadibus ægritudinem pertulit, absque alimonia panis. Tandem moribus & annis maturus ad cælestem vitam migravit, anno Domini septingentesimo decimo tertio, principatus Pipini senioris vigesimo quinto. Corpus autem ex monasterio delatum est in oratorium beatæ Mariæ super montem, cuius radicibus monasterium adiacet: quod oratorium etiam in libris miraculorum dicitur Superius monasterium, etsi Canonorum fuerit, non monachorum collegium. Vnde hic locus in Chronicis ad Gerardum Cameracensem episcopum scriptis, clarius nominatur monasterium sanctorum Ursuari & Ermini, Canonialis congregationis, Laubiensi cœnobio subiacens. Ex quo cum septem alijs sanctorum corporibus, & canonicorum collegio, translatum est anno 1409. ad Binchium Hannoniæ oppidum, duobus inde miliaribus distans. Est autem Ursuari Flandrensi, Menapensi, & Theoracensi Apostolus, anno ab obitu centesimo decimo eleuatus, per Fulradum abbatem, iussu Cameracensis episcopi. Lobium enim, seu Laubium, siue Labacus, ad eius diocesim pertinet, quamuis sit territorij Leodiensis. Historiam scripsit, seu potius stylum eius correxit, Ratherius Veronæ existens, ex Lobienfi monacho primùm Veronensis, deinde Leodiensis, episcopus, cuius Luitprandus meminit libro tertio de rebus per Europam gestis: quique tumulo suo Lobijs epigraphium inscribi curauit, Conculcate, pedes hominum, sal infatuatum. Cui operi Folquinus abbas librum miraculorum subiecit, ex quo constat tanti patroni interuentu non tantum in loco felicis

Cap. II. *¶*
vit.

felicis requietionis facta esse miracula, sed etiam in remotis eius memoriæ dicatis locis. Quodque Lobieneses monachi, in quacunque necessitate, soleant ex suo monasterio, quod maius & inferius dicebant, ad superius ascendere, ubi coram corpore sanctissimi confessoris, & feruenter eum orabant, & spe sua potiti, cum gratiarum actione *Te Deum* cantabant. Qui hymnus etiam per totam Flandriam auditus est in itineratione Flandrensi. Cùm enim per bella Henrici Imperatoris, & Balduini Comitis, Lobium multa in Flandria amisisset, pro eorum redemptione Episcoporum licentia & benedictione, corpus Vrsmari inter Flandros est delatum, & in ea itineratione nullus pœne dies transijt absque signis miraculorum. Multos autem à dentium dolore, peculiari compassione liberauit, quod eo malo nouem annis laborasse memoretur. Pingiturque cum dæmone prostrato, quia eum sepius ex energumenis eiecit.

Mirum autem non est Lobiensem ecclesiam, ad summam peruenisse temporalium rerum benedictionem, quando in ea vigeat dignitas episcopalis, & quotidiana erant sanctorum Vrsmari & collegarum patrocina. Vnde tempore Franconis fertur possedisse villas centum & quinquaginta tres. Sed hæc, vt sunt caduca & transitoria, ita temporum & principum iniuria, multum sunt collapsa. Occupatum enim fuit hoc monasterium primum à Lothario & alijs aliquot Lotharingiæ regibus. Deinde à Francone, & septem post eum episcopis Leodiensibus. Sub quibus à parasitis dicebatur, *aurea vallis*. Ablatum est Aldenburghum, iam antea diuo Vrsmaro donatum. Occupatum

patum est magna ex parte Santhense territorium. Sed & Franco abbas, regis Arnulphi, cognati sui fauore factus episcopus Leodiensis, permulta abstulit, inter quæ castellum Tudinum, quod antiqui abbates ad tuendam abbatiam magnis sumptibus munierant. Maxime memorabilis hic est triumphus contra Hungaros. Cuius memoria annue duodecim lectionibus recolitur: de quo ad diem secundam Aprilis dictum est. Habet enim sanctus Vrsmarus præter natalem suum, etiam ab Vsuardo notatum, alias commemorationes. De quibus legitur; Septimo Calendas Aprilis, Lobij eleuatio sancti Vrsuari episcopi, quæ agitur Dominica ante natalem sancti Ioannis Baptistæ. Quarto Nonas Aprilis, commemoratio meritorum venerabilium Christi confessorum Vrsuari & Ermini, quando ab Hungris liberati sunt Loubienses per merita eorum. Dominica secunda post festum beati Ioannis, Binchij translatio sanctorum corporum Vrsuari, Ermini, Theodulphi, Vlgisi, Amoluini, Abel, Hidulphi, Amalbergæ, de ecclesia Lobienfi in oppidum Binchiense, facta anno millesimo quadringentesimo nono. Cæterum in Lobienfi monasterio cum sanctitate claruisse etiam eruditionem, satis constat. Nam inter scriptores ecclesiasticos celebrantur aliquot Lobienfes, Ansegisus, Senonenfis archiepiscopus Folquinus abbas, Herigerus abbas, ad cuius tumulum frigoretici sanati sunt, Adelboldus, episcopus Ultraiectensis; Albertus, qui & Olbertus, abbas Gemblacensis; & Burchardus, episcopus Vuormatiensis.

20. De sancta Aya, Comitissa Hannonia.

Ex Chronicis Hannonum, & aliunde.

IN Montibus, obitus B. Aya, Comitissa Han-
nonia, tam sanguine quam vita praclaræ.
Cuius memoriam facit ecclesia Montensis in Litanij. Hæc
coniungitur marito suo sancto Hidulpho, ad diem vige-
simam tertiam Iunij. Refert autem historicus Hannonien-
sis, eam suas hæreditates, seu dominia, Montensi contulisse
ecclesiæ, quæ postmodum, quasi iure propinquitatis, re-
petebantur, sed dicta ecclesia, cum vexaretur lite, sanctam
Ayam, etsi defunctam, multis precibus in testem euocauit:
& ipsa respondit, se donationem suam ratam habere. Vnde
pacificè quod datum erat datum remansit.

*Iacobus**Guis**Li. II. c. 4.*

Decima nona Aprilis.

De beato Bernardo, pœnitente in san-
cti Bertini monasterio.*Ex Ioanne, vite eius scriptore, & Iacobi Poulain, Iu-
risconsulti, Canonici Audomarensis, literis.*

AD sanctum Berthinum, obitus beati Bernar-
di pœnitentis. Quem propter miracula, in vi-
ta & ad tumbam facta, sanctorum collegio aggregatum
pietas credit ecclesiæ. Fuit Prouincialis diœcesis Magato-
nensis, quæ subest episcopo Narbonensi: literarum
omnino expertus, & tamen cum literis sui episcopi, quas
etiam metropolitanus sigillo munierat, pœnitentiæ
causa totum ferè orbem peragravit, terram sanctam terridè
lustravit; Tandem in sancti Audomari vrbe receptus est à
quodam Vuilhelmo, vbi, sicut decreuerat, permansit.
In literis scriptum erat generatim, iniunctam fuisse pœ-
nitentiæ septennem, propter horribilia peccata. Sed vitæ
scriptor asserit se audiuisse, quod consensum præbuerit

*Chronicorum
loci, c. 45.**Ex historia
Ioannis Més.
in Sathu.*

Aprilis 19.

IN ANTALIESOMA 3

in necem domini sui temporalis, quem subditi occiderant, eo quod illos iniustis exactiōibus affligebat. Quatuor singulis annis Quadragesimas ieiunabat, tribus diebus hebdomadarum pane & aqua contentus erat. Eadem ei parsimonia fuit sextis ferijs, & in vigilijs Apostolorum. Stans fere semper orabat, Pedibus nudus erat. Vinculis ferreis quinque stringebatur, videlicet, circa pectus, lumbos, collum, brachia, & crura. Cilicio & lorica sub vestibus utebatur: lectum habebat ex lapidibus. Cum autem se ex Dei reuelatione morti propinquum esse intelligeret, postquam suscepit & Ecclesiae sacramenta, & Bertinensis monasterij habitum, feliciter requieuit, anno millesimo centesimo octuagesimo tertio. Corpus autem primū in exteriori ecclesia positum est: deinde ob miraculum editum, ad chorū delatum: & postremò detractis ferro, lorica, & cilicio, in ecclesia sancti Bertini sepulturae traditum. Hactenus ex historia à Ioanne quodam descripta, iubente id Simone abbate, eius nominis secundo, qui beatum virum in monachum assumerat, Berrineases autem in die depositio- nis celebrant anniuersarium pro omnibus defunctis. Post Missam processionaliter itur ad beati monumentum, canendo responsum, *Iustorum anima in manu Dei sunt*, cum Collecta, in qua generatim mentio fit omnium sanctorum, quorum reliquiae in ecclesia requiescunt. Sepultus est in sacello sanctae Catharinae.

Die vigesima-prima Aprilis.

Obitus B. Vuolbodonis episcopi Leodiensis.

Ex monumentis ad diuum Laurentium.

*Vide A-
maldum
Wion in
Martyrol.
monastico
ad hunc diē*

Leodij ad sanctum Laurentium, in monte publico, dominus Vuolbodo, Leodiensis pijsimus episcopus, à saeculo migravit, anno millesimo vigesimo primo, qui huic loco res sacras dedit, & in eo humari elegit. Vitae historiam scripsit loci monachus Reinerus, cuius initium est, *Clara nobilitatis Vuolbodo*, genus ex Flandria duxit, sed claritatem generis clariore illustravit vita, eruditione, & pontif-

pontificali prerogatiua. Debet autem maioribus nostris *Et quædam*
 multum fuisse celebris, quia plusquam in triginta manu *connotati-*
 scriptis ecclesiarum Martyrologijs depositionem eius an. *mus ad c.*
 notatam obseruauit: in quibus tamen non facile alium san- *14. lib. 3.*
 ctum reperiās, cuius natalis alicubi non celebretur. Epita- *chron. Cæ-*
 phium eius ex vastatione Guesica superest, uersibus Leo. *mericensis*
 ninis,

Stripe decens, ueritate nitens, Vualbodo notatur,
 Præpositus pridem Traiecti rector, & idem
 Ob cœlibem statum, post hæc recipit monachatum,
 Hoc ducē prostrauit Turcos, Cæsarque fugauit.
 Leodij præsul Domini pietate sacratur,
 Pauperum ipse pater, uelut Laurentius alter,
 In precibus totus, nec ab eis cessit ægrotus,
 Pacis & ipse dator, sed & amissæ reparator;
 Hac in urbe pius primus statuit Litanias.
 Ad sanctum Iacobum monachos coëgit in unum,
 Liquit in expensas nobis marchasque trecentas.
 Sedit episcopo ter denis mensibus, in quo
 Febre laceffitus moritur, mirè redimitus.
 Ac moriens ferri se iussit, & hic tumulari.
 Post obitum varijs micuit uirtutibus almis,
 Quartanos, rabidos, claudos reparauit, & ægros,
 Vnus in his tardus, abbas Trudonis, Alardus,
 Aphrènesi tactus rediuiuos suscipit artus,
 Durandum fregit, quem reddere rapta coëgit.

Vigesima-secunda Aprilis.

De B. Aldeberto, Comite Austrouandie.

DOnonij, obitus B. Aldeberti, Comitæ Austrouan-
 diæ, Qui in altare est subleuatus. Eius autem enco-
 mium continetur in uita S. Reginae, coniugis, ipsius
 Calend. Iulij.

K 2

Vigesima

Aprilis 24.

NATALES

Vigesima quarta Aprilis.

De sancto Egberto abbate.

Ex Beda & Marcellino.

*Beda lib. 5.
historiarū,
cap. 10. 11.
ES 23. l. 3.
cap. 27.*

*Ex historia
Swilberti,
auctore
Marcell.*

IN Huensi insula, quam alluit mare Scoticum, B. EGBERTI monachi, presbyteri & confess. Qui etsi Belgium nostrum nunquam intrauerit, præsentem tamen loco memorandus est, propter maxima beneficia, quæ Frisijs & Hollandis præstitit. Deo enim amabilis, & cum omni honorificentia nominandus, pater ac sacerdos Egbertus, doctor suauissimus, & eorum quæ agenda docebat, exsecutor deuotissimus, siciebat, inquit Beda, omnium hominum salutem, sed præcipue paganorum Frisonum & Saxonum, eo quod Angeli ab eis propagati sint. Electis proinde socijs strenuissimis, & ad prædicandum verbum Dei idoneis, nauim ingressus est, quamuis diuino oraculo prohibitus. Faciebat hoc zelus ille animarum, quo contra Dei dispositionem oblectabatur. Verùm suborta, dum in nauis essent, sæua tempestate, omnimodam intellexit Dei voluntatem, vt se profectioi subtraheret, domique remaneret ad corrigenda monasteria Columbæ, quorum aratra in Paschæ obseruatione non rectè incedebant. At verò vnus de socijs, Vuigbertus, contentu mundi, & doctrinæ scientia insignis, in Frisiam peruenit, & duobus annis continuis genti illi, ac Regi Radbodo, verbum salutis prædicabat: sed sine fructu. Vt autem vidit vir Domini beatus Egbertus se ob aliam ecclesiæ vtilitatem retineri, nè gentibus prædicaret, nec Vuigbertum quicquam profecisse, iterum tentauit ad opus verbi Dei mittere viros sanctos & industrios, actione & eruditione præclaros. Misit ergo instar duodecim Apostolorum, ex diuersis monasterijs duodecim Apostolicos viros, in fide constantes, quorum nomina in Swilberti historia exprimentur, Vuillibrordus, Swilbertus, Acca, Vuigbertus, Vuillibaldus, Vuiniboldus, Leuinus, duo Euualdi, Vuerenfridus, Marcellinus, & Adalbertus. Qui Dominici gregis arietes, anno sexcentesimo

simo nonagesimo Traiectum appulerunt, & constanter Christum euangelizauerunt, atque Deo cooperante, multum animarum luorum in Frisia, Hollandia, alijsque in locis fecerunt. Et quoniam hi doctores sancti propagati fuerant de stirpe Frisonica & Saxonica, ideo conuenienter eis euangelium Christi prædicare potuerunt. Migravit autem vir Domini sanctus Egbertus, post multa virtutum bona, ad regna cælestia, anno ætatis nonagesimo, Domini, sepringentesimo vigesimo nono, ipso die Paschæ, Nec dubito quin festum diem apud Huenses habuerit, etsi id nondum ex Ecclesiastico officio obseruaerim. Sunt autem manifestè vitiata, per cuiusdam imperitiam, gesta sancti Switberti, in quibus hæc Egberto Eboracensi archiepiscopo attribuuntur. Siquidem is anno trigesimo secundo ultra septingentesimum, factus est Eboraci episcopus, pro Vulfrido quidem, sed non illo, qui Frisij per hiemem primus prædicauit: & anno demum trigesimo quinto accepto pallio, primus post Paulinum factus est archiepiscopus Eboracensis.

Ab utroque verò Egberto diuersus est Edbertus episcopus: Qui anno sexcentesimo octuagesimo nono, quantum ex Beda supputare possum, Lindisfarnensis episcopus ordinatus est, in locum beatissimi Cuthberti, postquam vacantem sedem, vno anno administrasset sanctus Vulfridus Eboracensis. Multa de huius eximia sanctitate, & miraculorum gloria, scribit Beda libro quarto historiarum Anglorum, & in libro vitæ sancti Cuthberti, quæ inde petantur.

Beda in epitoma, an 732. 735.

Cap. 29. 30. Vita Cuthberti c. 40. 43. 44.

Vigesima-quinta Aprilis

I^o. De S. Floriberto, episcopo Leodiensi.

Ex monumentis de sancto presule.

A Pud Legiam, sancti FLORIBERTI, episcopi eiusdem loci, & confessoris. Qui post patrem suum sanctissimum Hubertum annis nouendecim præfuit Leodiensi ecclesiæ, usque ad annum septingentesimum quinquagesimum quartum, sepultus in æde diui Lamberti,

Aprilis 25.

NATALES

vbi corpus signis coruscans, non ita multis ab obitu euolutis diebus, est humo eleuatum, & in sarcophago impositum, cum reliquijs sanctorum martyrum Petri & Andoleti, & iuxta sancti Lamberti corpus collocatum. Natalis eius in die beati Marci recolitur: in Martyrologio tamen propriae diocesis notatur die sequenti: fortassis quia propter festum Euangelistae differri solet. Notatum autem vidi in manu-scriptis codicibus, incertum esse an fuerit sancti Huberti filius spiritualis, an carnalis, ante videlicet clericatum ab eo genitus.

2^o De sancto Ermino, episcopo & abbate Lobienfi.

Ex historia quam transmisit Reuerend. Pater Erminus, abbas Lobienfis: & informatione, quam accepi anno septuagesimo quinto.

L Aubijs, transitus sancti ERMINI, episcopi & confessoris. Cui locus natiuitatis fuit Ercliacus, in pago Laudunensi: Parentes autem de Francorum genere non infimi, sicut conijci datur ex redditibus prouenientibus ex eius patrimonio. Ad presbyterij autem honorem sublimatus, valde est expetitus à beato Vrsmaro pontifice: cuius voluntati, consentiente praesule suo Madelgario, satisfaciens, in monasterio quod à fluuiolo in Sambram deriuante, vocatur Laubacum, monasticam mox vitam est professus: in quo tantam subiectionem & obedientiam erga maiores, charitatem verò erga minores exhibuit, vt omnibus esset admirationi. Denique pij patris Vrsmari morum honestatem intantum est imitatus, vt eum officij sui post se delegerit ministrum, & pontificem.

pontificem. Præfuit autem annis ferè viginti quinque, vir omni genere virtutum adornatus, & (quod liber gestorum testatur) spiritu prophetiæ clarus. Cui anno septingentesimo trigesimo septimo successit sanctus Theodulphus. Quiescit autem apud Lobienfes Canonicos Binchij, secundus patrius patronus. Vbi natalis eius ob festum sancti Marci differtur in sequentem diem. Lobijs verò beatus Marcus in sequentem diem; & litania in feriam sextam sequentem differuntur. Dies translationis est vigesima sexta Octobris; triumphus, secunda Aprilis. Porro Ercliacus, in Francia, notiori vocabulo dicitur, villa sancti Ermini. Estq; ibi Prioratus, in dicti sancti honorem, quem Lobienfes non incelebrem hactenus habent, videntur tamen eum nunc, via permutationis, resignaturi archicœnobio Remensi. Nos enim in ea tempora incidimus, quibus difficile sit in extero regno & disciplinam, & temporalium rerum benignitatem conseruare, & retinere.

Vigesima sexta Aprilis.

De sancto Richario, abbate Centulensi.

Ex Alcuino de vita beati Richarij, Hucbaldo de vita S. Rictrudis, & Chronico Bertinensi.

Monasterio Centula, sancti RICHARII, presbyteri & confessoris. His enim verbis memoriam eius Calendario ecclesiastico, quod Martyrologium dicitur, inscripsit Vsuardus, in eo opere quod Carolo magno dedicauit. Alcuinus autem eiusdem Augusti Imperatoris, & pijssimi sanctæ Ecclesiæ tutoris, præceptor, beatissimi Richarij vitam ornato stylo conscripsit. Natus est

Aprilis 26.

NATALIS

in villa Centula, prouincia Pontina, in qua per pietatis opera, & per prædicationis lumina, clarus effulsit: sed & in ultramarinas Brytannia regiones lumen veritatis suo sparsit aduentu. Reuersus verò ad patriam, quodam tempore visitauit equitando Deo deuctam fœminam Rictrudem, & cum iuxta morem, ipsa ad propria ascenso equo remeanti, filiolum Maurontum, quem ante factro baptisinate regenerauerat, benedicendum daret, immisit antiquus hostis equo ferocitatem: sed orante famulo Dei, puer, qui ceciderat, sanus redditus est matri, & equus redditus est mansuetudini suæ.

Cum autem ab omnibus honoraretur, monasticam vitam petens, regimen ecclesiæ quam in Centula vico fundauerat, alteri tradidit. Porro Gislemarus, vir illustris, & Christiana religionis deuotus amator, & Maurontus, terrarum velt sylvarum ad regem pertinentium seruator, præbuerunt ei locum manendi in sylua Tristracensi, qui, & ipse Maurontus, postea seculari habitu deposito, monachus factus est in eodem loco. Cumque viro Dei mansionem solitariam præparasset, Christo monasterium construere inchoauit. At inibi tanta se mortificatione carnis castigauit, vt vix ossa arenaria dissipatis iuncturis sibi adhererent, illum quotidie vincens in eremo, a quo Adam olim victus est in paradiso. Nec tamen in eremi angustia, lucis columna latere potuit, multis ad eum infirmis confluentibus, quos sanctarum medicinis orationum sanauit. Traseus tandem diei euocationis suæ. Christi viaico suum iter munuit, & inter gratiarum actiones, & verba orationis, spiritum emisit: conditus

ditus à Sigobardo commilitone, vbi suo regi maximè militauerat. Sed non multo post, fratres à Centula, cum suo abbate Ocialdo, corpus tulerunt, posueruntque eo in loco, in quo etià nunc cum magna meritorum gloria requiescit.

Ex his autem Alcuini verbis colligitur cum Deo militasse multo tempore, deinde etiam obijisse & quiescisse in Belgio, nam Maurontus, vt alibi ex Hucbaldo dicemus, monasterium suum *Ad v. diem Majj.* Broyli inter Flandros construxit.

Huc etiam referendum est ex Bertinensis monasterij chroniceis, quod post mortem, propter Nordmannorum persecutiones, Flandria comes *Chron. cap. 26. § 30.* corpus eius quarto Calendas Septembris, & corpus beati Vualerici nono Calendarum eiusdem mensis, ad sancti Bertini monasterium transtulerit. In quo vtrumque remansit vsque ad tempora Arnulphi secundi, qui Hugoni Capeto, postea Francorum regi, ea multum reposcenti, tandem restituit.

Die vigesima septima Aprilis.

De cæde Conradi, episcopi Ultraiectensis.

Ex Ioannis Becani historia Traiectensi, capite quadragesimo.

ANno Domini millesimo nonagesimo nono, quinto Calendas Majj, Conradus episcopus Ultraiectensis lamentabiliter est occisus. Qui ad feliciſ recordationis suæ memoriam, in occidentua parte ciuitatis Canonicorum ecclesiam ædificabat, sed fundus luroſus bases ferre non poterat. Erat tunc inter latomos Pleberus Friso, qui solidum promisit fundamentum, sed

Aprilis 27.

NATALES

rum, sed immoderatum inde salarium exigebat. Quapropter episcopus largis encensijs à filio arcanum magisterium didicit, & ecclesiam in Dei genitricis honorem perfecit. Hac de causa Friso, inuidiæ zelo episcopum, post Missarum solennia domi orantem, cultro de manica educto, instigante diabolo trucidauit. Qui in ecclesia à se fundata celeberrimè sepultus est.

Hanc autem basilicam à fundamentis construxit secundum moenia ciuitatis, ad similitudinem ecclesie iuxta muros urbis Mediolanensis in eius honore dicatæ, & per eum, cum interesset expeditioni Henrici Imperatoris, dignatæ. Quam abunde dotauit.

Eidem dictus Henricus quartus contulit Comitatum in Stauero, quem Ekbertus Marchio ob perfidiam amiserat. Sub eodem episcopo arsit Traiecti basilica diui Petri in montibus, incuria aulicorum Imperatoris prædicti. Quod ille suis peccatis imputans, cum Bertharegni & thori socia, ecclesie combustæ tradidit prædium *Bruoche* cum vniuersis appendicijs

Sigebertus scribit occisum esse Conradum feria quarta Paschæ. Ex quo colligitur Becanum, à Suffrido editum, mendosè referre eadem ad octauas Kalendas, nam eius anni litera Dominicalis fuit B. vt cognoscitur ex calculo, & ex victoria captæ Ierusalem, quæ fuit feria sexta eiusdem anni, decima quinta Iulij. Itaque retinenda est lectio manuscripti codicis, quo usus sum in his annotandis.

Vigesima nona Aprilis.

De beata *Aua*.

Ex monumentis *Dononij*.

DOnonij, festiuitas sanctæ *Auæ* virginis. Sic enim habet antiquum eius loci Martyrologium. Caterum quia non est canonizata, in Calendario Breuiarij scriptum erat: *Commemoratio sanctæ Auæ: sicut pro defunctis*. Nec peculiare aut singulare est huic loco, pro ea orare quæ inter sanctas, quamuis præter canonizationem, honoratur: sed alibi etiam obseruatur, circa *Vualbertum*, *Pipinum*, *Idubergam*,² non tamen absque doctorum quorundam

dam admiratione, & tacita contradictione. Qualis autem fuerit beata Aua, paucis indicat Dononienſis eccleſia, ad ſecundam diem Septembris, quando eleuationem recoliſt ſanctæ Ragenfredis. Erat opibus affluens, ſed Dei iudicio cæca, ad declarandum ſanctæ Ragenfredis meritum. Cùm enim multa Sanctorum loca, viſum ex petens, donatione honoraffet, tandem ab angelo monetur, vt pro viſu recipiendo ſepulcrum & reliquias ſanctæ Ragenfredis non negligat. Obtento autem lumine, prædia ſua, ſeruos, ancillas, & omnem ſui iuris ſupellectilem, ad ſepulcrum ſanctæ Ragenfredis obtulit. Eccleſiam ſanctæ Mariæ meliorari, & ad eam beatas medicæ ſuz reliquias transferri fecit: Ibi etiam, ſacro velamine aſſumpto, v̄ que ad finem vitæ Deo militauit, & locum ſepulcri in eccleſia ſancti Martini, cum ſanctis Dei inibi tumulis, promeruit.

a. *Item Carol. martyr.*

Die trigeſima Aprilis.

1^o. *De ſancto Forannano, epifcopo & fundatore Vualiodorensis monaſterij.*

Ex monumentis eccleſia Walciodorensis, qua diligenter ad me tranſcriptis Paulus Thenon, ſupprior Haſteria, ſub abbate Walciodorensi.

IN venerabili, perpetuæ virginis matris Dei, Walciodorensi baſilica, deſcriptio egregij ſanctiſſimi que epifcopi & abbatis primi FORANNANI Qui in Scotia nobili proſapia oriundus, à teneris annis optimis moribus & artibus eſt imbutus. Vnde in clerum aſcitus, populi & cleri ſuffragio, ad archiepifcopatus faſces pertractus eſt, in ea ciuitate quæ Scotigenarum lingua tunc *Dominormor*, totius yberniæ & Scotiæ metropolis, nuncupabatur. Verùm peractis annis aliquot in eo paſtorali regimi e, angelica viſitatione monetur, trans mare Vallem decoram adire. Nec
mora,

Aprilis 30.

NATALES

mora, adiunctis duodecim comitibus mare adiit, nullaque nauireperta, duo ligna in formam crucis disposita conspexit, quæ cum comitibus conscendit, & stupendo miraculo aura sancti Spiritus flante, in Gallias peruënit. Cùm autem vltterius perambulassent Lomacum, Comiti Eilberto, Vallis decoræ, seu Walciodori fundatori, peregrinationis suæ causam aperuerunt. Qui gratulabundus cum eis Romam profectus est, vbi à Benedicto septimo, monasterij confirmationem & priuilegia obtinuerunt. Voluit autem Apostolicus Præsul beatum Forannanum abbatem, quàm diu viueret, episcopum permanere Vallis decoræ. In reditu autem Forannanus & comites Gorziæ, regulam sancti Benedicti sunt professi, & inde læti ad Vallem suam redierunt, totis viribus Deo famulaturi. Hinc Comes Eilbertus sibi ipsi vix in referenda Deo gratia sufficiens, locum illum, spectantibus populis, multorum honorum traditione dotabat. Cumque sanctitate & nobilitate clarissimus septem annis post aduentum beati Forannani supervixisset, plenus bonis operibus, Deo spiritum reddidit in Fleruco, nominatissimo suæ ditionis ad Sambram pago, quinto Calendas Aprilis. Vnde à sancto Forannano & clero Walciodorum est deportatus. Sanctus autem episcopus & abbas, pastor vigilantissimus, pater pauperum, omnium virtutum floribus ornatus, quinto post Eilbertum anno quieuit, anno nongentesimo octuagesimo secundo & in læna Basilicæ Walciodorensis honorificè depositionem accepit, non absque insignium operatione miraculorum. Cuius natalis cum Canonico officio celebris fuit Walciodorensibus, vsque ad annum

num vigesimum sextum ultra sesquimillesimum. Tunc autem reformatores Bursfeldenses eum ex albo Sanctorum, quo ad diuinum officium, extinxerunt: eo quod non extaret ratio eius per Ecclesiam Romanam in numerum Sanctorum. Quæ ratio quibusdam Walciodorensibus displicuit, eo quod multi sancti celebrentur, qui non sint in Romana curia canonizati. Ideoque diuinum officium relinquendum putarunt de suo sancto, quem constat multis miraculis in suæ depositionis annua celebritate & aliâs claruisse, quorum quædam fidelissimis scriptis & picturis tradita exstant, quædam verò negligentia perierunt. Inuocatur adhuc annuè, cum sanctis Eloquio & Nuncio, pridie Paschæ in Litania. Sacrum item corpus eius, excepto brachio, quod in sacristia asseruatur, in plumbeo sarcophago compositum, terræ sinus fouet, extructo desuper monumento, cum titulo, Sancte F O R A N N A N E, ora pro nobis. Conseruatur etiam in sacrario penè integra, cum argenteis tintinnabulis, stola ipsius sacra, cuius benedictione morsum rabidi canis sanauit. Qua etiam multi postmodum curati sunt.

a Distat ab eo vno miliari Septentrionem versus.

2º. De obitu Radulphi tacentis.

Ex libro obituum in Affligem, & libro Apum.

IN Affigenio, obiit Radulphus tacens, sacerdos & monachus, qui septem annis silentium tenuit, & signo Crucis incendium maximum peuitus extinxit.

O quam longè, inquit Thomas Cantipratensis, iste erat ab ijs quorum lingua maculat totum corpus, & ut 13. aliis 12. docet sanctus Iacobus, rotam nostræ natiuitatis inflamat!

Tribuit

Maij 1.

N A T A L E S

Tribuit illi sedecim annorum silentium, in quo tamen suspicor^a eum lapsum esse, aut mendosum esse codicem vtriusque editionis, eo quo liber obituum Affligenij meminerit tantum septennij

a Vidi tres editiones antiquas & 4. exemplaria mss. quae omnia habent sexdecim. G Col.

Die prima M A I I.

1^o. De S. *Euermaro, martyre Ruthensi.*

Ex historia eius ecclesiastica.

IN territorio Tungrensi, villa quæ Ruthis dicitur, sancti **E V E R M A R I** martyris, qui ab iniustis innocenter interemptus est. Huius mors pretiosa crebris miraculis illustratur. Haftenus Martyrologium Fuit autem, vt in ecclesiastico officio legitur, nobilis Friso, qui succrescentibus cum ætate meritorum virtutibus, ad sancta loca peregrinabatur. Cumque Traiectum iret ad sanctum Seruatium, diuertit in territorio Tungrorum, apud Hacconem quendam in silua Harclapia, cum septem suis comitibus. Qui, vt erat tyrannus, beatum virum cum dictis comitibus interfecit. Honoratur verò inter Dei martyres à Ruthensi ecclesia & à vicina Tungrensi, ad quam singulis annis sacrum corpus defertur. Ossa eleuauit circa annum nongentesimum sexagesimum octauum Heraclius, episcopus Leodiensis: quam eleuationem tot subsequuta sunt miracula, quod descripta ingens volumen efficerent.

*Iib. 2. vi.
sa beati
Landoaldi*

Volunt autem villam prædictam, ab eruta silua nomen habere. A Nodgero tamen nominatur, ni fallor, villa *Rother.*

Porro Canonici Ruthenses, per merita martyris, bened-